

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Johannis Segeri Weidenfeld De Secretis Adeptorum Sive Usu Spiritus Vini Lulliani Libri IV

Weidenfeld, Johann S.

Londini, 1684

92. Aqua Regis Guidonis

[urn:nbn:de:bsz:31-96282](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-96282)

prorsus; ex Jove flavum. *Ibid.* Quis cum communi Aqua Regis dissolvit unquam metalla promiscuè, tam argentum quàm aurum in oleum, vel spacideum, vel lazurium? Ne quid dicam de metallorum omnium reductione in duas pinguedines rubram & albam Essentiam & corpus invalidum. Ab effectu ergò clarum est Paracelsum sal Harmoniacum aqua forti dissolvisse pro sua aqua forti fortissima.

Guido addit quod Paracelsus omittit salis armoniaci pondus in hujus menstrui confectiõne.

92. Aqua Regis Guidonis,

Pag. 22. Thesauri. Chym.

R. Vitriolum sal com. Nitrum, destilla in aquam fortem, accipe hujus libram unam, salis armoniaci (*phil.*) uncias quatuor, destilla adhuc semel.

Solomon Trismosinus aliquando metalla dissolvit in communi aqua forti, & solutioni addidit sal harmoniacum. Ita argentum aqua forti dissolutum volatilisavit cum prædicto sale, libro 8. Tinct. in Tinct. quinta pag. 81. Aurei Velleris German. R. Lunæ puræ uncias quatuor, solve in aqua forti com. abstrahe phlegma, adde residuo salis armoniaci drachmas sex & affunde novam aquam fortem, abstrahe iterum in cineribus ad oleitatem, hoc repete quater cum nova aqua forti, tandem urge fortiter & luna ascendet una cum aqua forti.

Aliquando Aurum & Argentum junctim hoc menstruo volatilisavit. In Tinctura Regis Julaton, pag. 16. Aurei Veller. R. Auri limati, salis armoniaci, ana uncias duas, quibus affunde argenti optimi in unciis octo aquæ fortis dissoluti uncias quatuor, abstrahe ad oleitatem, novam affunde aquam fortem, quod repete ter cum recenti aqua, & aurum una cum argento ascendet per alembicum.

Lullius suam Aquam Regis confecit dissolvendo sal harmoniacum vegetabile in aqua acida mercurii sublimati.

93. Aqua